

1 Reverendissime Domine. Litterae D. V. Reverendissimae tanto mihi gratiores fuerunt, quanto iam desperare incipiebam de bono exitu optimae causae, quae immortalis futura videbatur. Itaque prudentissimo, atque a Deo inspirante, consilio Amplitudo vestra noluit  
5 iniquam concordiam, ut iustum sententiam assequeretur. Neque me piget, saepius iterasse preces apud Summum Pontificem, et litteras ad Apostolicum Nuncium. Quod de Serenissimo Maximiliano D. V. Reverendissima adiunxit, mirum in modum animum meum exhilaravit: verebar enim, ne post Caesaris sententiam administrator difficilem se praebet in dimitienda provincia. Sed Deo, in cuius manu sunt corda Regum, facile fuit omnia componere, quando in conspectu eius beneplacitum tempus advenit. Illud iam superest, ut pastoralis vestra solicitude deformatam provinciam totis viribus reformare aggrediatur, oviculas dispersas congreget, lupos longe abigat, et  
10 tempus gregi invigilando redimat, quod litigando quodammodo perdere adversariorum coegit iniuria. Precor Deum ut sicut Amplitudini vestrae iam dedit, ut diurnae patientiae & fructum suavissimum colligeret in terris; ita det utrique nostrum, ut pastoralis officii, atque alaboris plenam mercedem inveniamus in coelis. Diligamus invicem atque oremus pro invicem, ut salvemur. Capuae die 10 Octobris 1602.

[Fuligatti, Epp. famil. XXIX.]